Cracoviensis Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1700 d. 2 mens. Aprilis



Arbor vitae Crux Salvatoris —

ARBOR VITÆ, CRUX SALVATORIS,

Celebrioribus per Regnum Poloniæ
SCHEMATISMIS,
Virtute miraculorum, & gratiarum multitudine,
CONSPICVIS;
intra Regia IAGIELLONII Parnaſsi Vireta;
SVB EXIMIA PROTECTIONE,
PERAVGVSTI CAPITVLI
CRACOVIENSIS,
vere novo

REFLORESCENS.

operâ & ſtudio,
PERILLVSTRIS, & REVERENDISSIMI DOMINI,

M. SEBASTIANI PISKORSKI,

V. I. DOCTORIS & PROFESSORIS,
CANONICI CRACOVIENSIS, &c.
A. Vniverſitatis Studij Generalis Cracovienſis
PROCANCELLARII,
ad Annum Secularem eiuſdem A. Vniverſitatis per
D. IAGELLONEM inſtauratæ & Fundatæ
TRECENTESIMVM.
Septemdecim Viris Magiſterij in AA. & Philoſophia Doctoratûs
LICENTIANDIS,
Vtriuſquè Eloquentiæ cultu
CELEBRATA,
Anno Iubilæi Magni, 1700. Die 2. Menſis Aprilis.

CRACOVIÆ, Typis SCHEDELIANIS.



Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini Nostri IESV Christi.

Galat. 6.

Hodie CRVX facta est; SECVLVM sanctificatum est.

August. Serm. de Parasc.

O verè cælestis Planta pretiosior cunctis, sanctior universis: o verè Lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare salutis fructum.

Bernard. Serm. sup. Cant.





ILLVSTRISSIMO, & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. GASPARO CIENSKI

Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis DECANO, &c.
Sede Vacante Episcopatûs ADMINISTRATORI,
Totiq; PERAVGVSTO, ILLVSTRISSIMORVM, REVERENDISSIMORVM, PRÆLATORVM, CANONICOR: ejusdem Ecclesiæ CAPITVLO.
Dominis, Benefactoribus Amplissimis.

Illustrissimi, Reverendissimi Domini, Domini Benefactores Amplissimi.



TRabeatam Regis dolorum majestatem, admiranda gratiarum multitudine, in Augusto Vavelli vestri cardine dum universus Orbis Lechicus adorat; etiam Nos novella Laurearum plantatio, Arboris vitæ Elogia, ad ipsius basim, & radicem (celebrioribus intra Regnũ Iconismis sanctè & religiosè observatis) appensa deferimus. Studium

)2(quippe

quippe nostrum vere hoc novo, sub tam fausta mirabilium DEI congerie, ad CRUCEM SALVATORIS, in Monte Vestro thaumaturgam reflorescet: coram qua, Reges, & terrarum Principes; Fasces suos, ac diademata inclinant. Duplicata etiam Divinissimi PRÆSULIS, & Martyris STANISLAI CRUX, Anno hoc Sancto gratiosam protectionis umbram indulgebit; sub cujus tutela, & Vrbs hæc, millesimi, & Vniversitas Nostra, trecentesimi decursum anni, feliciter est emensa. Decuit insuper Laurus nostras sub tam auspicato CORONARUM Vestrarum patrocinio revirescere; & ILLUSTRISSIMO BISONTIS CAPITI ramos suos prosternere in coronam; ac gratiarum actionem: sub cujus prudēti regimine Vniversa Diæcesis efflorescit in decorem Ecclesiæ maximum; ac in dies succrescit in augem felicitatis. Vniversitatis quoq; Nostræ vota, in hoc Seculari ætatis suæ plausu, non aliunde diuturnæ omina spei autumat, quàm à Sacro CORONARUM Vestrarum Ternione; à quo rebus in arduis præsentissimam habuit tutelam. Deponimus igitur Sacram hanc admirandorum DEI Encyclopædiam, & stupēdam Divinæ CRUCIS virtutem ad aram Vestram: à qua Regno, CORONIS Vestris, amplissimæ Diæcesi, felicissima seculi auspicia; nobis verò protectionis perennis umbra, ut proveniat; Regnantem à Ligno DEVM supplicibus votis compellamus.

ILLVSTRISSIMARVM, REVERENDISSIMARVM, DOMINATIONVM VESTRARVM,

Infimi, & humillimi Licentiati Clientes.

PARTICVLA INSIGNIS CRVCIS CHRISTI.

In Monte Calvo, PP. Ordinis S. BENEDICTI, à S. EMERICO, S. STEPHANI Hungariæ Regis, Filio, donata, miraculis augusta.



Voscunq; non Adrastia Nemesis,
Sed scelerum ultor à tergo DEVS insequitur;
hunc in Montem fugite.
Aram placationis nacti in CRVCE,
tremulas animas refovete.
Calvus quidem vulgò Mons iste dudum dictus;
Nè cuipiam in suo cacumine Asylum celaretur.
Hoc certè paradoxum est; quòd, cùm omnibus pateat;
Soli vindictæ Divinæ claudi videatur.
Nempe dum feriunt summos fulmina montes;
huc intorta retorquentur, & suâ metâ falluntur.
Hîc Cælestes in terris incolæ Benedictini nacti Casium;
nos cassos superni præsidij favores experiuntur.
Quid enim à Vitali CRVCIS Sanctissimæ LIGNO sperare deberent?
nisi vitam, Salutem, opem, victorias?
Felix tua venatio Dive Princeps Emerice!
qui, hoc in Monte non feras, sed gratias cæpisti.
Serius certè ludus tuus exstitit;
quô Cælum capere licuit.
Nempe dum Regales gazæ, & Hungaria obryzo opulenta;
Nihil pretiosius, hac CRVCIS Divinæ portione habuerit;
dono hoc, Lechicum Olympum Cælo propius admovisti.
Assurgunt Augusto Nomini Tuo,
calamitatibus colluctantes mortales:
qui hîc, morborum, febriumq; cohortes, & fata vincunt.
Et quidni sub hoc Signo triumphare liceat?
in quo Triumphator CHRISTVS avernum, & mortem prostrauit.
Hâc Thaumaturgâ Trabe,
per rubrum Passionis Oceanum,
ad portum Salutis trajecimus:
cujus Insigne Fragmentum non in Armeniæ montibus;
sed in Monte Benedictino veneramur.
Felices terq; quaterq; Palinuri,
qui in cataclysmo peccatorum,
etiam hodie hanc Tabulam voto humili prehendunt.
Felicior Polonia,
quæ suam hîc aurifodinam nacta,
Anno Seculari, & Iubilæi,
auctos in immensum thesauros colligit.

I. V. D. NICOLAVS OCHOCKI, Crac.

A

INSIGNIS PARTICULA ARBORIS

Vitæ, Lublini Anno 1400. deposita, quam Constantinus Imperator Vlodimiro Albæ Russiæ Duci cum dote Sororis suæ eidem locata dedit, successivè Gregorius Ivo Dux Kiioviæ, Andreæ Episcopo Kiioviensi consignavit, demum ab eodem Cracoviam portata, Lublini substitit.

Ode

Patet Polonis, frigida quos fovet
Septemtrionis portio, flammea
Ad Passionis CHRISTI acerbæ
Prodigium, pietas, nitetq;

Centum coronis, hic ubi publicum
Regni Tribunal, Iustitiæ sacram
Erexit aram, Lublinensi
Conspicuâ situata in Vrbe.

Abscedat Hermus, pondera qui suis
Abscondit antris aurea; Gangis &
Procul recedant flavæ arenæ,
CRVX mage divitiæ potentes,

Opesq; nostræ, subsidio datæ,
Gentis Lecheæ pectora sublevant,
Contraq; bellorum furores
Præsidium renovant perenne.

Illæ ferocis fulmina Bistonis
Adusta Lunæ, & cornua comprimunt;
Illæ tumentes Marte Moschos
Cladibus insolitis fugârunt.

Nulloq; pacto Gentis ad improbæ
Fines moveri tunc poterant, nisi
Per firma pacis iura, sedem
Perpetuam prius occupâssent.

Sic nos ab alto, præsidio DEVS
Vltro tuetur, rebus & arduis
Confert supernè gratiarum
Mille modos. Pretij redempti

Solamen ingens! o Sacra Portio
Quacunq; dote, & munere carior!
Intende nostræ vota Gentis;
Et Cracias tueare laurus.

II. V. D. IOANNES CHRYSOSTOMUS SZULTZ.

CRUCIFIXI ICONI THAUMATURGÆ.

In Ecclesia Cathedrali Cracoviensi Miraculis Clarissimæ

EX Helicone in Vavelum descende calame!
liberes? a Basilica hac arceri minimè poteris Arce.
Obtusus es? ad inconcussam loci hujus rupem acueris.
Illa hic Cælestium gratiarum adnotare expedit tibi incrementa,
quæ, pridem adamantino expressa charactere,
tota, cum veneratione legit Sarmatia.
In hoc nimirum Vavelo,
aureum nostræ felicitatis vellus
frigidis sub glaciali Vrsa plagis,
Cælestis primùm deposuit Agnus.
In hoc Monte
non tantùm obryzum, sed etiam pretium vitæ mortalium;
ac inæstimabilem gazam deposuit DEUS.
Scrutari alibi montium viscera coguntur Pygmaliones;
hic Cælestis thesaurus in colle prominet;
ut omnibus patens ab omnibus inveniatur.
Inter Vavelanas Coronas fixit stationem;
utpote omnium vota, singulorum desideria coronaturus.
In Saxo licet, Verus Flos Campi;
Cælestis tamen Soli, unde est decerptus, genium seruans
sterilescere nescit.
Fæcunditate gratiarum Thaumaturgâ,
admirabili virtutis suæ vigore,
cæcutientibus visum, sanitatem ægris restituit.
Fontem Cælestium charismatum diceres;
dum mentes afflictas dulci inebriat solatio.
Quid enim sub CRVCE, nisi melleam reperies ambrosiam?
O Arbor vitæ fæcundissima!
cujus fructus vel in hoc typo suo,
humanum exacuit appetitum.
O Lignum
Invictissimi IOANNIS III Poloniarum Regis,
ad Viennenses Campos Trophæum, signumq; triumphi.
Delphicis, Sacratior Laurus!
a qua
DivA HEDVIGIS Poloniæ Regina,
acceptis sæpiùs Oraculis copiosam gratiarum decerpsit sementem:
& responsa tulit.
Tu à fulmine fatorum protege
Regem, Ordines, orbam Pastore Diecæsim:
æterno, & terno seculi decursu famulantem Tibi
Iagellonicam plantationem
Cælesti imple vigore.

III. V. D. IOSEPHUS TYXYNSKI,

IN METROPOLITANA ECCLESIA

Gnesnensi, Effigies lignea sculpta, Salvatoris Crucifixi; ex qua duobus, ante Sueticum bellum annis, Sanguis merus largiore stillicidio, in stratum altaris profluxit.

Ode

Linquo Camænas; non mihi fontium
Procella cordi est; vulnere limpido
Quod currit, ô IESV! fluentum
Musa bibet, referetq; lympham.
Hanc Gnesna monstrat, dum viduam diu
Quondam Coronam, Sceptraq; Regia
Lugeret: en Regis dolorum
Promeruit retulisse fasces,
Rarô ac stupendô prodigiô sacros.
Nam Finnus armis huc ubi præpotens
Venisset; ut nostrum teneret
Præsidium Leo sub tributo:
Rupit profanus templa, polaribus
Sacrata Divis; glandeq; plumbeâ
Transfixit in ligno repansum
Vulneribus cumulando CHRISTVM.
Audi rigenti sub Boreâ gemens
Hoc Suece factum! purpureis DEVS
Stillavit undis, nec repôsto
Exanimis maduit cruore.
Et Pectus ictum deciduas aquas
Invenit intra, quâ pluviâ scias!
Quod facta nostrorum scelesta
Ipse DEVS Patiens doleret.
Bis Sol iugales rexit in æthere
Invitus; umbras nam timuit memor:
Fluente sic CHRISTI cruore
Se tenebris rubuisse diris.
Quarè Lechæo præsidium Polo,
Tandem sacrato vulnere provide:
Nostrasq; fonte hoc CHRISTE! Laurus
Irriguas, Viridesq; serva.

IV. V. D. IOANNES LOPUSZYNSKI.

IMAGINI CRVCIFIXI

In Ecclesia Cathedrali Posnaniensi, ob multiformes gratias, fidelibus præstitas, per Majorem Poloniam, Miraculosæ.

Non Dracones modò circa Hesperia mala;
Sed etiam Argos centoculos frustrà vigilare, palàm est:
nisi Dominus custodierit Civitatem.
Sepulti gravi lethargo, etiam in vivis sibi parentant mortales;
nisi ê specula sua prospexerit ille, qui totus Oculus est.
Hic Custos hominum, in Imagine sua;
tibi ut notior, ità propior est, Inclyta Posnania.
Varta quidem te cingit;
quasi ex ethymo Lechico vigil custodia:
fluidum tamen elementum cùm sit;
fidem non meretur.
Exactior Tibi Excubitor,
qui etiam ipsum Petrum excitat;
ad Tergeminas Turres tuas non dormitat; neq; dormiet.
Felix, quæ in Petra huic Vigili Claues tuas credidisti.
Nempe si Fluvius Excubiarum te circumambit,
Christus Mare est:
qui, in Thaumaturga Imagine CRVCI affixus;
manus expansas tenet, pro te pugnaturus.
Exedram Pontificiam pro speculo elegit;
ut verificaretur Oraculum Hipponense:
CRVX est, non tantùm lectulus morientis; sed etiam Cathedrâ docentis.
Imo
Si Major Polonia Nidus Aquilarum est;
hîc Aquila magnarum alarum:
Pientissimos Prælatos, velut pullos suos ad volatum provocat.
Macte animo deuota turba,
abundantiam in Turribus tuis futuram nè despera;
cùm in te, gratiarum penu
in Frumento Electorum possideas.
Apage hinc pestem, & omne toxicum!
CRVX Balsamum est:
ad quam, etiam viperæ properant posituræ venenum.
Amuletum est:
quod, ut cicatrices Reip: sanet;
Regnanti in CRVCE DEO, Pallas Nostra
Cor, Vota, Laureas, & Oleas suas in Hecatomben substernit.

V. V. D. MICHAEL STAPORKOWICZ.

IMAGINI CRVCIFIXI
ad Basilicam Archipresbyteralem Crac: in Circulo, ipso aspectu peccatores conterenti.

Ode

VRbium Princeps, celebranda Craco;
Cuî Ioves nostri, Diadema, Fasces;
Et quibus grandes animæ quiescunt,
Pergama credunt.
Inter ingentes opulenta gazas:
Te, quibus cæli moderator alti
Ampliat; majus pretium sacrata
A CRVCE sumis.
O quot in porta Cracidos reponit,
Dona supremum geminatq; Numen!
Quótve cum celsis Aquilis ad astra
Agmina tendunt!
Non datur nostris calamis facultas;
Quis Tibi splendor venit à Patronis,
Lechici Regni; veneranda quorum
Lipsana condis.
Ipsa CRVX pennam celerem fatigat,
Ædis Augustæ MARIÆ, profundo,
Grata, quam cultu veneraris, atq;
Excolis auro.
Circuli centrum Cracij, sacrata
CRVX, & ingentis pretij monile,
Iudicum lanx, & Nitidi Senatûs
Regula prima.
Hanc pius Suentosylaus perenni
Obsequî voto recolens, secreta
Audijt Cæli; meruitq; summos
Scandere postes.
Hancq;, fortunæ populos ruentis,
Cum frequentatis precibus revisit;
Semper è summo remeâsse fausta
Tempora sensit.
Vinciunt si quos scelerum catenæ;
Indè laxatis redijsse vinclîs,
Liberos se se memorant, CRVCISq;
Numen adorant.
Ergo CRVX, Regis solium Supremi,
Fascibus nostri faveas Monarchæ:
Craciæ Sedi, Iagelonidumq;
Prospice Musis.

VI. V.D. MARTINUS GRUCKI.

IMAGO CRVCIFIXI D.N.I.C.
In Ecclesia Claræ Tumbæ PP. Cisterciensium, ab Ivone Pijssimo, Antistite Crac: inibi collocata, miraculis, & gratijs Clara.

NÆ tu Claræ, & Vitalis Tumbæ non inane nanci sceris nomen,
Cisterciense ad Crac: Archicænobium;
quod, lucem vitæ concentratam possides.
Virginalem ad Collem,
augustior eminet Columna, Imago CRVCIFIXI;
cui salus Poloniæ innititur.
Hanc Pius Antistes Ivo posuit;
ut fideli Polono populo lux, & dux esset ad vitam.
Circa littora Vistulæ fulget Pharos hæc;
ut Poloniæ Argo, faustô, ad portum bonæ spei
utatur nauigiô.
Nè hamus mortis, qui ipsam Vandam hamauit,
incautos caperet;
Sanctior cum CRVCIS tridente Neptunus CHRISTVS, præcauet.
Et certè hinc excede Libitina!
contra te hic aculeus est.
Tot ereptis tuis, & auerni spolijs; etiam tibi interitum minatur
Triumphale Signum.
Symptomatum pestem jactas?
Vitale Signum est.
Quòd gratias, tot salutis pharmaca propinat.
nemo tristis recessit;
qui, triste licèt, hoc morientis DEI Hominis simulacrum
devotè visurus accessit.
Devoto cultu, contrito vultu;
aspectus hic mysticus Serpens,
â Colubro infernali morsos efficaciter sanauit.
O quot periclitantes Palinuri in gurgite vasto ærumnarum;
hîc, beatas Insulas inuenerunt!
Auspicatissima Helice CRVX Mogilnensis;
cujus jubar, Solis æmulum, aurea spes salutis.
Sed quò prouolas leuior penna?
Faciliùs tibi Vistuleos exhaurire fluctus;
quàm hunc Oceanum gratiarum.
Fidem miraculorum præstent, tot votiua anathemata;
& appensæ sanctiori tholo gratitudinis tesseræ.
Ad metam ergo felicitatis Polonæ,
tu quoq; venerabundus siste; & supplica:
Vt Regnator â Ligno DEVS,
Regi Augusto, semper augustum se præstet:
Ordinibus Regni, & Academiæ, cum Vrbe hac,
inceptum seculum Saturninum efficiat.

VII. V.D. PAVLVS CIBVLSKI.

EFFIGIES CHRISTI CRVCIFIXI

Lublini apud RR. PP. Carmelitas Discalceatos gratijs Celeberrima.

Golgotha præruptis, aſperrima Golgotha Saxis;
Tincta ſalutifero Patientis Sangvine CHRISTI
Ad Solymam; linquens ſceleratæ littora terræ;
In Lechiam volucri properat Sydone volatu.
Ac ubi Metropoles: Gneſnam, Craciosq; Penates,
In CRVCE ſuffixi decoravit Imagine CHRISTI:
In Lublinenſes ſe contulit illico fines;
Iuſtitiæq; lares. Vbi Ius appendit, & æqvum
Lance Dea; in dextra gladium verſata cruentum;
Monteq; Carmelo ſtationem fixit amicam.
Quâ patet ad lævam fabricata Intrantibus Ara;
Muſcoſæ ſtat fixa baſi CRVX; langvida pendent
Colla; & in amplexus vultu invitante, parata.
Hæc (cùm Lechiadûm, Scytha ſe truculentus in Oras,
Et vaſtos effudit agros; ferro, igne potentem
Depopulaturus, multo conamine Gentem)
Viſa fuit quondam lacrymis manantibus Vrbem,
Indigenasq; Vrbis, Lechicæq; Phalangis alumnos,
Aſpexiſſe oculis; tantam miſerata ruinam.
Viſa dein, triſtem referens in Imagine vultum,
Tela in Threicias armata ſipare cohortes;
Et noſtros animare Duces; generoſa ſcverent
Pectora; queis ipſi veniunt in prælia Divi.
Nec modò Prodigijs ceſſat clarere: ſed Vrbem,
Lechiadumq; Orbem, magnis virtutibus implet.
Nam quicunq; gravi vivit mœrore fatiſcens,
Aut lentis premitur, nullo ſolamine, curis;
Ocyor illa, ſuum venit inviſura clientem;
Gaudia pro gemitu, triſtiq; ferendo dolore:
Præterea quibus ora ligat, lingvamq; fatigat,
Non bene formatæ natura inimica loqvelæ:
Aut quos deformes, ſcauros, vatióſve, varóſve
Compoſito ad numerum vult deſtituiſſe cothurno:
Pupillámve quibus natura noverca ſerenam,
Vel clarum, quô nil magè carum, lumen ademit.
Hos ſiquidem lingvâ, greſſuq;, & lumine donans,
Vota celebrandam geſtat ſuſpenſa per Aram.
Hæc igitur Lechiam Divino robore firmet;
Protegat & longo noſtras munimine Laurus.

VIII. V. D. SIMON CANTIUS LACKI.

EFFIGIES CRVCIFIXI,

In Porticu ædium Sanctiſsimæ Triados Crac: ob acceptos Cæleſtes favores, populi adoratione, culta.

Non omnis fluvius fert ſecures;
priſca Phrygis paræmia eſt.
Noſter Viſtula etiam ſecuritatis Aras vehit;
ut, & mobili elemento immobilem rerum ſtatorem ineſſe,
non dubitet Orbis.
Oedypum nè fatiges, rem expando:
Ille eſt, quem Thaumaturgum in ſua Icone CRVCI affixa;
ad ædes Sanctiſsimæ TRIADOS in Vrbe Craci,
pronus Viator adoras.
Hunc Fortem, Armatum, Polonus Simois, & ſcamander tulit;
ut ſecuriora Pergama noſtra fierent.
Supra aquas ferebatur Ara hæc;
ut Spiritu Domini, delatam adorares.
Cæterùm iſtud Aſylum, omnium refugio, deſtinatum cælitùs,
non omni dextrâ attigi voluit;
niſi a Magni Dominici Filijs.
Quid ità?
ut, ubi Thomæ manus,
ibi latus Domini patens eſſet.
Nempe
non alibi potior, ſalientis aquæ in vitam æternam, mortalibus
oſtendi potuit ſcaturigo;
quàm unde liberalior, in miſeros ſperabatur refluxus.
Quid enim parcum eſſe poteſt?
ubi gratias Candidi Ordinis, candor ipſe diſpenſat.
Putarem tamen, & rapidis Viſtulæ undis ſuum eſſe arcanum.
Nativum his utiq; vel eminus ſuos remeare in ortus;
& niſi in Oceano condi.
Errâſſet Eridanus noſter, ſi Sacris ſibi â Cælo creditis, non ſic,
in Mare Aquinaticum placidus influxiſſet.
Vnionem enim pretioſum vehebat, exonerari non debuit;
niſi, ubi puriores animarum, & animorum gemmæ naſcerentur.
Huc ergo
devota Lechiadum Turba, votis ſupplicibus tende:
unde, vel cum Aquis Aquinaticis,
Salvatoris gratia liberaliùs manat.
Macte animo amarum calamitatum Mare hoc ſalutari LIGNO
tinctum dulceſcet.

IX. V. D. STANISLAUS GOLEIOWICZ.

EFFIGIES CRVCIFIXI
in Oppido Busko Diæcesis Crac: in quam, dum impia, & hæretica mulier sclopô jaculari vellet; miserè eo in loco, manibus adustis mortua est.

O Summè Patiens, Cæli Rex, CHISTE nitentis!
Ergo nulla Tui statuetur meta doloris?
Siccine sæva, Tibi series immensa malorum
Accrescet? dirumq; nefas immanibus ausis,
Et sceleri scelus accedet? nec crimina stante
Cessabunt sæclo? flagrorum sæva procella,
Ictus fulminei, tot turpia monstra Gigantum,
Mentibus humanis diro conamine nata;
In Te, Magne DEVS, feriunt? gentesq; feroces,
Oblatum pretium dum contempsêre profano
Cultu: ponè novum crimen, mirabile dictu!
Nascitur è Lucis, fideiq; è cardine primo,
Imbellem, sceleris deturpans munere sexum.
Scilicet inspecto CHRISTI vultu, laterisq;
Vulnere transfixi; crudelis fæmina facti,
Arripuit pyrio compactum pulvere sclopum.
Dúmq; DEI Effigiem, scelerato verberat ictu;
Vltrix ira polo; mirum! descendit ab alto,
Sacrilegasq; manus flammâ consumpsit averni;
Ac animam æternum Ditis detrusit in orcum.
O Mirande DEVS! summi Sapientia Patris;
Quis tantæ virtutis opus, quis munera Sancta?
Humano generi dignè concessa loquetur?
Perpetuo tractu, qui tot charismata fundis
Christiadûm populo! qui tot solatia amoris
Largiris, Lechiæ maiorum sangvine partæ;
Quisitæq; diu fidei monumenta tueris.
Tu præsens Tutela pates, contra obvia tela
Ponti; ac insolitos æstus! Tu vulnera Gentis,
In dubias scissæ partes, langvore tueris;
Sangvineoq; lavas nostrûm peccata fluento.
O DEVS! ô fidei quæsitæ, Gloria nostra!
Et patiens, Sacri vindexq; severus honoris!
Conserva Lechiæ Proceres, Regemq; sub Vmbris
Arboris; unde salus populi, unde & vita suborta est.
Fac vigeat pietas, probitas virtutibus amplis:
Atq; timoratæ succrescant munera mentis.
Continuò vireant, Cracio sub climate Laurus.

XI. V. D. PETRUS KEMPSKI.

CRVCIFIXI IMAGINI,
Ad ædes S. Adalberti in Girculo Crac: gratijs coruscanti Anathema Votivum.

ILium Neptuni, & Apollinis augustum opus,
cur nunquam eluendam in cinere agis pænitentiam?
Malè custoditum Palladium,
hanc tibi contritionem sinè emendatione causavit.
Hactenus stetêre Pergama; quatenus illud stetit.
Ex quo, hoc à Pelasgo sublatum; sublata est & Troja.
Ità superi, vigiles suos custodiunt:
& pro se laborantibus laborant:
è contra neglecti, negligunt ingratos.
Faustiorem, Orbis genius miratur nostram Trojam;
Divorum, Regumq; Sedem Cracoviam.
Hæc, inter fatorum fulmina triumphat;
& exactô feliciter ævô aliorum clades numerat:
quia sanctius Palladium, impensiùs colit.
Nempe
in medio circuli sui,
Virtutem collocavit, Imaginem CRVCIFIXI.
In æde Archipræsulis Adalberti
Labarum CRVCIS fixit;
ut, cum ipsius hastis majus præsidium augeret.
Iagellonicæ Palladis Ecclesiam elegit;
quia non alibi Divinius hoc Palladium servari locuit.
Vibrate jam pupillas Argi;
non Trojanos ignes, sed thaumaturgam lucem visuri.
en, ut in septentrione gratiarum, ad hanc Iconem explicatur
Meridies;
ut orantes, & adorantes animas, Cælestis lux circumdet.
Mirum sanè est;
Tragicum Passionis negotium mente volutant mortales;
& pleni solatio redeunt.
Atrocissimam necem meditantur, & vitam sanctiorem
ex aspectu Imaginis inchoant.
Felix Craci plantatio!
quæ in medio Paradisi tui,
hoc Lignum vitæ possides:
Regno, Regi, Tibi, ac Musis nostris vitam proroget
immortalem.

XI. V. D. CHRISTOPHORVS MICHAŁOWSKI.

MIRACULOSA CRUCIFIXI SALVATORIS Figura, in Ecclesia Koscinensi Majoris Poloniæ, Magnâ populi frequentiâ colitur.

Ode.

NUlla tam felix numerat Cathedra
Dogmatum sensus; fideiq; veræ
Nullus effatu, retulit tot altæ
Verba salutis;

Quot, pios fructus meriti superni,
Quotue doctrinæ pretiosa dona,
Ipsa Crux confert sita, Koscinensi in
Limine Templi.

Illa, per plures populo gementi,
Iudicum lites rigidè perorans,
Contulit multis, gelidos per artus,
Gaudia pacis.

Vnde transferri meruit piorum
Corde; maiori statuiq; in Ara:
Gratiarum Fons magis ex aprico,
Vt fluat haustus.

Nempe debebat thymiana laudis
Maius accendi; referens odorem,
Vtq; succrescat pius indè fervor;
Luce videri.

Confugit supplex quoties ad Aram,
Fessa plebs, longo, nimio & dolore;
Gratiæ semper recipit supernæ
Indè levamen.

Hinc graves culpæ veniam merentur:
Sentit ac æger facilem medelam;
Membra, Captivo labefacta ferro
Consolidantur.

Accipit mæstus requiem laboris;
Mortui, longâ serie iacentes,
Huius impulsu, rediviva sumunt
Corpora Manes.

Sub tuo sacro Labaro, triumphum
Expetunt nostræ, DEUS Alme, mentes:
Hinc Tuo, Laurus proprias, honori
Dantq;, dicantq;.

XII. V. D. SEBASTIANUS KASPROWICZ.

IMAGINI CRUCIFIXI,

Leopoli, In Ecclesia Archicathedrali, Victoriarum, & Triumphorum Auspici.

CVbile Leonis est:
quod etiam Byzantinos Alcidas terruit.
Ergo temeritas Leoburgum cautiùs accedat.
Leo de Tribu Iuda,
qui, tam horrendum rugijt;
ut Cælum, saxa, & elementa pauerent:
in Imagine sua hîc præsens est;
quis non pauebit?
Leonem apertis luminibus dormire;
si naturæ secretarijs, compertum est:
hunc, nulla hesperugo uidit dormitantem.
Atræ noctis Præses, & Erebi Filia,
Othomanica Luna;
ab hoc Vigili, perterrita, Leone; olim sanguinea, mox pallida exstitit.
Nempe
in Poloniæ Polo primum Zodiaci signum, LEO;
Solem duntaxat admittit:
Qui, certè in illo geminavit incendia:
& ipsum Taurum, contra Auroræ Busiridem inflammavit.
Nempe sensit tyrannus Augustæ CRUCIS virtutem:
cujus, ipsa Imago Leopoli Thaumaturga;
diræ, & duræ obsidionis vim repressit.
Mortem minabatur, & excidium
Musulmanica rabies;
sed Vitale Lignum, vitam in morte invenit.
Rogos exitiales, Roxiacæ Metropoli accenderat;
sed Sanctior gratiarum Fons, incendium extinxit.
Ruinam minabatur, Vrbi;
sed Columna Orbis, eam, CRUX suffulit.
Multis arietibus pulsavit mænia;
sed unus anniculus Agnus, balistas retudit.
Sagittarum densa missilia vibrauit;
sed Vmbo CRUCIS adamantinus obstitit.
Alia Miracula nè quæsieris,
tota CRUX, Miraculum est.
Imo grande Miraculum esset, ad hanc CRUCEM confugientes,
sine solatio redire.
Rusiam appella calame!
quæ tota, sub CRUCE triumphans,
Triumphatori CRUCIFIXO supplicat;
ut, in restitutis Prouincijs, gloria CRUCIS,
& olea pacis æternùm floreant.

XIII. V. D. SAMUEL IANSON, Leopol.

IMAGO PATIENTIS IN CRVCE DEI
Hominis ad Ædes Divi Marci, multiformibus Gratijs corusca.

DE LIGNO vetitum pomum dum carpserat, inde
Carpsit Adam soboli noxia cuncta suæ.
Admiranda DEI IESV Patientis Imago,
In CRVCE Vita, Salus, estq; medela reis.
Mille pijs lachrymis hæc Arbos ritè colenda,
Afflictorum Quæ dulcia vota beat.
Quidquid inexhaustæ bonitatis præbuit Orbi,
In LIGNO moriens hoc dedit ipse DEVS.
Ingeminare novos gemitus, & cruda dolorum,
Nos iubet æternùm, Passio Summa DEI.
Muneris est pretium tanti sub Nomine Marci,
Quem Patiens Dominus fecit amore suum.
Hìc lachrymæ sumunt, hìc gaudia vota precantûm;
Nam pretium virtus, estq; Corona DEVS.
Tu IESV Patiens, Salvator totius Orbis,
Iam pretium lauris, nostra Corona, dab[i]s.
Giedrocius roseo flagrans pietatis amore,
Gestivit, IESV Verba loquente sibi:
Ad Mortem patiens sis usq; per aspera victor,
Sic capies nitidi culmina celsa Poli.
Dæmona Giedrocius vicit dexter, CRVCIS Almæ
Huius in auspicijs, mille trophæa ferens.
Vulcanus Cracidos dum grassaretur in Vrbe,
Hac CRVCE terga dedit, perdomitusq; fuit
Vota ferunt populi, solamina digna triumphis,
Quæ capiunt, cedris sæpe notanda sacris.
Suffragijs meliora suis dum CHRISTE capessunt
Dona, Tibi grati supplice corde ferent.
Ergo Iagellonis Laurus haud fulmine tangi
Permittas Genitor, Rexq; Supreme Poli.
Imperium summum gestans ex Arbore Victor,
Augusto Regi, Sarmatiæq; fave.

XIV. V, D. IOANNES KRVDNEROWICZ.

CALVARIÆ ZEBRZYDOVIANÆ
in Polonia ad Crac:

TRanslato in Orbis partes, CRVCIS mysterio;
Hierosolymam à se abijsse haud ambiguum est.
Excedere à se debuit, tot stimulis acta durioribus;
quia ingrata.
Lapis in lapide non mansit; utpote singuli abituri.
Dubitas, abeunte Christo, etiam lapides mansuros?
Etiam illi animati contra ingratos.
Scissas olim petras contra insensatos legimus;
nunc in exterminium eorum uniuntur.
Hierusalem ergo, ampliùs non est visio pacis;
Ex quò, Principem pacis interemit.
Felicior Aquila Nostra,
quæ, Magno Zebrzydovio Duce
Hierosolymæ Coloniam, in Poloniam traduxit.
Hìc beati Sionis Colles,
non jam peregrini sed domestici.
Hìc salutaris Golgothæ vertex,
tholo CRVCIS beatus;
mortales Cælo inserit.
Hìc Annæ, & Caiphæ palatia Cælo ad palatum;
& Herodis Curia, non incuria salutis;
quia indulgentijs peccatorum opulenta.
Totam beatam Vrbem, in Orbem Lechicum migrasse
credideris:
quia Geometricam ipsius mensuram,
Zebrzydovianus Genius ex asse transumpsit.
Golgotheum hunc in Polonia Montem,
cùm millones populorum conscenderint:
soli Dæmones licèt veloces ad perniciem nostram;
vel ipsam radicem illius formidant.
Polonicam hanc Hierosolymam,
Germania, Hungaria, Slauonia;
& quidquid in vicinia Gentium est; invisunt.
Soli Hæretici detrectant;
quibus in Hierico habitatio complacuit.
Tu, quisquis salutis arripere iter conaris;
hanc Hierusalem pete:
non solus in illa peregrinus,
Cui Reges, Principes, Duces, Antistites, prodromi fuêre.

XV. V. D. STANISLAVS MARKOWICZ.

EFFIGIES CRVCIFIXI SALVATORIS

in Ecclesia Neosandecensi, funditus olim Conflagrata, sola remansit intacta, cum tabella residua, continente hanc inscriptionem: Peccata vestra,

Ode.

EVge Musarum celebris Corona!
Colle Parnassi gemino, locata;
Castalis, dulces latices aquarum
Funde per amplos.

Gemmeum CHRISTI solium dolentis;
Et salus mundi celebranda venit:
Igneæ laudes medijs in undis
Ponè supersunt.

Dum tot Æthneus struit officinas
Mulciber; sævas agitando flammas;
Vertit in tristem cinerem, ac favillam
Tecta domorum:

Has faces volvit furiosus, usq;
In sacras Ædes removente vento;
Quas suis Sadec Nova continebat
Mœnibus altis.

Tecta Divorum titulo Sacrata;
Atq; cùm fumo vehementer Ara
Evolat; quidquam manet haud perenni
Absq; ruina.

Sola CRVX altos, stupor! inter ignes
Mansit immunis: prope quam relicta
Sculpta suggesti in minima tabella,
Binaq; verba.

Quô DEVS Signô nimium stupendô
Monstrat, infandum scelus; in favillam;
Quòd velit nostrum, rigidáq; pœnâ
Tollere crimen.

O sed humanæ, pretium salutis!
CHRISTE, tormento CRVCIS in superno
Perditam vitam generi labenti
Qui renovâsti!

Applica guttam Latere è Sacrato
Laureis nostris! fluat hinc amoris
Fons inexhaustus, Iagelonis atq;
Irriget artes.

XVI. V. D. SEBASTIANUS PYZOWICZ.

IMAGINI CRVCIFIXI,

In Ecclesia Andreouiensi, Sanguine Miraculosè sudanti.

In Ægypto mundi,
Angelum exterminatorem nè timueris Andreovia!
liniti postes sanguine Agni, stragem avertent.
Primogenitus ante omnes Creaturas;
quem CRVCIFIXVM in Imagine Thaumaturga colis,
primogenita servabit.
Solum tuum, Cereris ferax, ut fæcundius redderet;
etiam ex Icone sua pluuiam serotinam effundit.
Et certè, Nilus hic è Paradiso gratiarum fluens;
Ægyptiaco felicior.
Qui quinq; duntaxat ostijs,
totum mundum mundat, & fæcundat.
Si autem tam grata, & salutaris tempestas,
cataclysmum fecerit, nè metue.
Felicissimus Hylas, qui tantis gurgitibus absorbetur.
Nempe in hoc pelago mergi;
est, portum salutis attingere.
Naufragar tamen hîc neminem autumo;
Vbi eadem CRVCIS Tabula,
& Nauis Noëtica felicior, & Portus est bonæ spei.
Imo intumescere hasce undas nè dixeris:
Supra quas, Divinus Spiritus ferri non desinit.
Sudum ergo perpetuum tibi gratuleris:
cùm sanguine rubet Mysticum Cælum.
Eia fideles Brandiorum Manes!
Vobis prima, ex sanguine Agni data est tinctura.
De numero Signatorum vos esse, quis ambigat?
Quos non litera Tau, umbra CRVCIS;
Sed ipsa CRVX sanguine cruenta, consignauit.
Cujuslibet Orthodoxi ædes,
Templum DEI esse; debere docuistis:
cùm Vestri Lares, primam Ceram Christo posuerint:
Felices Polonos!
Si eis quælibet Domus Golgotha fuerit.
Vbi nempe Christus non patiatur sed agat;
ubi claui non pungant; sed stimulum addant amoris.

XVII. V. D. SEBASTIANUS TORTOWSKI.



SUB FELICISSIMO REGIMINE.

MAGNIFICI, PERILLVSTRIS, & ADMODVM REVERENDI D.

D. M. MATHIÆ PSOIECKI,

S. Theologiæ & I. V. Doctoris, & Professoris, Protonotarij Apostolici, Collegæ, Majoris, Ecclesiarum Collegiatarum, SS. Omnium PRÆPOSITI, S. FLORIANI ad Crac: & Opatoviensis, DECANI, SCHOLASTICI Curzeloviensis, CANCELLARII Posnaniensis, CVRATI in Ośiek, Contubernij Iagelloniani PROVISORIS, S. R. M. SECRETARII.

STVDII, ALMÆ VNIVERSITATIS CRACOVIENSIS, GENERALIS, ac VIGILANTISSIMI RECTORIS.

